

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

S Etsi tuas, vir Reverende & charissime frater, potius jam expectabam, scribere tamen per hunc Italum, præsentium latorem, volui, quod is enixè postularèt, & res ejus. Civis est Bononiensis, locupletissimi mercatoris filius, propter religionem pridem exul, visu imbecilli, ut apparet, non indoctus. Conversatione ab in-eunte ætate sancta, moribus intactis, sicut de ipso id testantur populares ipsius, apud nos degentes, tentatus egregiè à dextris & sinistris, ut deserta Evangelii Religione Romanum Idolum adoraret. Sed enim quævis ille mala perpeti voluit, quam quod dedit Christo nomen, non profiteri. Quare pluribus jam annis exul cum paupertate egregiè confictatus est, idque summa cum constantia & patientia. Apud nos degit paulò minus triennio, quo sese piis omnibus egregiè approbavit. Nostræ Ecclesiæ & Germanicarum doctrinam amplexus, lectionum sacrarum auscultator fedulus. Symbolis frequenter nobiscum usus, ut mihi quidem ab Italica vafritie alienissimus, Israëlita verus esse videatur. Sustainatus est subsidio aliquo ab iis, quos dixi, popularibus ipsius, neque nos illi defuimus. Sed quia nolit eosdem perpetuò gravare, nec spem habeat postliminii in patriam, movere hinc pedem ad vos usque constituit, ubi & Religionis usum, quem purum esse in Ecclesia agnoscit, & scholasticis prælectionibus reficiatur, tum ut bonorum etiam consilio auxilioque, si quod obtingat, fruatur. Cupivit à me commendari cum primis tibi. Quod officium illi fraternum denegare idcirco non potui, quia sincerum optimumque virum esse judico, fraternaque misericordia dignum, Etsi non ignoro, quam obruamini egentibus ex omnibus plagis orbis, hoc maxime rerum *xaveria* ad vos confluentibus & confugientibus, id quod ex nobis etiam colligimus, quibus tales nunquam defunt. Facies igitur, quod poteris & quod soles pro pietate tua. Cæterum de rerum nostrarum statu cognovisti ex Coccio nostro indubiè omnia, nec quicquam aliunde nunc quidem nunciatur. Si quid tamen acciderit, te non celabo. De valetudine Müllhemii, & quid agat Illyricus & Piscator, ex eodem Coccio reverso intelligemus, de tua item valetudine, pro cuius conservatione non definimus nuncupare vota DEO nostro, & speramus exauditum iri nos, idque ob sui nominis gloriam & Ecclesiæ necessitatem. Doct. Grynæus, egregium & verè candidum organum, periculossimè à Pascharos festo laboravit, ut de vita etiam desperarent Medici. Sed donavit eum nobis Dominus, quò fructus ferat fideli solertique ministerio suo adhuc uberiores, Sæpè tui Ecclesiæque vestræ mentionem in quantalibet infirmitate sua fecit, nihil ex affinitate cum Erasmo mutatus, eundem erga sinceros Doctores affectum retinet. Sed bene vale, vir Reverende & animo meo charissime frater, unà eum uxore, familia totoque ministerio. Scripsi Basileæ, 4. Maji, Año 1572.

R. d. t. totus ut semper

S. Sulcerus, D.

Hhh

CV.